





Zur  
Gräfl. vom Hagen'schen  
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN  
gehörig

N<sup>o</sup> 1402

K

00 Brn

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.





Conspectus  
Dissertationum in hoc Volumine comprehen-  
sarum.

1. Böhmen Specimen Jurisp: Antejustinian.
2. Idem de Jure et auctoritate sigilli authenticii.
3. Idem de Jure diversis et diversitate climatum  
natis.
4. — de Lacto remissionis motu concursu.
5. — de Caede infantum in utero.
6. — de Locatione et Conductione praediorum  
nisi donum.
7. — de Legitimatione ex damnato coitu na-  
torum.
8. — de Jure circa libros in probatae lectionis.
9. — de Potestate procuratoris in causis crimi-  
nalibus.
10. — de Restitutione in integrum contra sponsalia  
pura minorum.
11. — de Sanctitate ecclesiarum.
12. — de Consumacia Cnon respondentis.
13. — de Causis arduis et majoribus.
14. — de anno deseruito.
15. — de Libellis alternativis.
16. — de Sententiis in rem jud: non transeuntibus.
17. — de judic: ex officio procedente.
18. — de sponsalibus de praesenti, et de futuro.
19. — de Dominio lectis.
20. — de eo, quod justum est, durante juro litis.
21. — de scripturis non legibilibus.
22. — de Contractu non praedecto, et 23. de Test: non praedecto.
24. — de Jure epistolalibus.

Lud. Philipp: ab Hager  
Halaë 1742.







DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA <sup>71</sup>

DE

RESTITVTIONE  
IN INTEGRVM

CONTRA

SPONSALIA PVRA  
MINORVM

QVAM

INDVLTV FACVLTATIS IVRIDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. IVSTO HENNING. BOEHMERO

ICTO POTENTISS. REG. BORVSS. CONSIL.

INTIM. PROF. IVR. ORDINARIO

ET H. T. DECANO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES  
ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA

D. VII. IVL. MDCCXXII

ERVditorVM DISQVITIONI SVBMITTIT

CAROLVS FRIDERICVS TRIER

CONSILIARIVS AVLICVS

SAXO-WEISSENFELSENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI, ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

MDCCXXXIX.

(57)



DISSERTATIO IN UNIVERSALIS JURIDICA

RESTITUTIONE

IN INTERVM

CONTRA

SPONSALIA PURA

MINORVM

IN REGIS JURISDICTIONE

PARADOXO

DI. IVSTO HENNING BOEHMERO

ICTO POTENTIS REG. BORVSS. CONSIL.

INIM. PROF. JUR. ORDINARIO

ET A. DECANO

PRO LICENTIA

SVMOS IN VITIOVE VIRE CAPESSENDI HONORES

PRIVILEGII DOCTORALIA

D. VI. V. MDCCXXII

FRVITIVORVM DVS. VISIONE SVMMITIV

CAROLVS FRIDERICVS TRIER

CONSILIIVS AVLIIVS

IN V. W. S. P. S. S. S. S. S.

HAEC MAGISTERIA

TVBIS IOANNIS FRIDERICI GRVNTII. ACADEM. ET SENAT. TYPOG.

MDCCLXXII

(3)







DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS  
DE  
RESTITVTIONE IN INTE-  
GRVM CONTRA SPONSALIA  
PVRA MINORVM.

§. I.



**Ralititium & in recta** Causæ matri-  
moniales ar-  
dua.  
fundatum ratione est assertum,  
negotia ardua maiori indigere  
deliberatione, nec temere &  
sine matura deliberatione susci-  
pienda esse (a). Sicuti vero ea  
potissimum ardua & magni  
momenti esse videntur, ex quibus præiudicium  
sumum metuendum, maxime tale, quod non fa-  
cile postea declinari amplius potest (b); ita meo iu-  
dicio

(a) Pluribus de hac regula egit Dn. PRAES. *diff. de caus. ar. & maior.*  
c. II. §. 14.

(b) *Idem hoc fufius deductum est in cir. diff. c. I. §. 13. sqq.*



dicio *causæ matrimoniales* & *sponsaliorum* huc referri debent, quippe quibus perpetuum vitæ consortium & omnis fortunæ & infortunii communio inducitur, adeoque consuetudinis futuræ viuendi felicitas vel miseria inde dependet (c). Illa quidem semper merito hanc societatem comitari deberet, quod suauē consortium amore coniugali perpetuo alendum inducat; enimvero tristis docet experientia, infinitis matrimoniis hanc deesse iucunditatem, vt loco eius non indiuiduam vitæ consuetudinem sed dissociatum, calamitosum & perpetuis obnoxium dissidiis vinculum inducat, id quod eo intolerabilius malum habet, quod sit perpetuum, indissolubile, & ita comparatum, vt omnem omnino pœnitentiam postea excludat (d). Reliquæ societates tantum discriminis non habent, quæ si præter opinionem male cesserint, dissolui & in pristinum restitui possunt statum. Hæc, quæ inter coniuges inita est societas, talis dissolutionis nescia est, perpetua est, adeoque eius incundi propositum summam desiderat deliberationem, ne quis se suamque sortem in summum deducat discrimen. Agnouit hoc pontifex in *c. f. X. de procur.* adeoque inde  
con-

(c) Addunt præterea ICI varia coniugiorum incommoda, de quibus agit ARNISAEVVS *de iur. connub. c. 1. sect. 3.* Matrimonia tot tantisque difficultatibus opprimi dicuntur in *l. vn. C. de impun. lucrat. descripte. lib. X.* eaque de causa *onus* & *sarcina* vocantur in *c. 7. C. 32. q. 7. c. 9. C. 33. q. 3.*

(d) Neque vero hoc *malum domesticum* intra priuatos parietes subsistit, sed in ipsam rempublicam redundat, vt optime animaduertit ARNISAEVVS *c. 1. sect. 2. n. 9.* adeoque interest omnino reipublicæ, ne *remeraria coniugia* incantur, vel promissiones vagæ & ex impetu magis quam deliberato consilio profectæ obligent renitentem postea, quo maiora mala ex infelicissimis coniugiis metuenda euitentur.



concludit, procuratorem ad sponsalia ineunda datum substituere non posse, propter magnum quod ex facto tam arduo posset periculum imminere. Addunt interpretes, nec actorem in causa sponsaliorum ad supplementorium iuramentum admittendum esse, propter summum præiudicium, quod reo posset irrogari, si condemnaretur, ut ait BESOLDVS *conf. 261. n. 29.* vel etiam quia causæ matrimoniales arduæ censentur & famosis ac copialibus equiparantur, & tali iuramento admissio reus inuitus contra libertatem matrimonii in illud detruderetur, ut ait CARPZOVIVS *lib. 3. resp. 57. n. 13. 14. 15.* Pari philosophia vititur COTHMAN. *Vol. 2. resp. 80. n. 16.* & causa matrimonialis, ait, est grauis, solemnis & magna, que graues, solemnes & magnas probationes exigit, & iudices peritos requirit, atque cura & diligentia exacta ponderari, expendi & perquiri debet, adeo ut causæ criminali equiparetur, item n. 90. in causa matrimoniali tanto maior, & concludentior probatio exigitur, quanto grauior est. Similiter BRÜNNEMANNVS *conf. 62. n. 2.* inter causas magnas, summas & status refert causas matrimoniales. Denique pontifex in *c. pen. X. de restit. in integr.* nouam inde conclusionem format: in matrimoniali quoque causa liberali vel criminali; cum maiores iudices exigant, arbiter nequit assumi; quamuis enim respectum ad sacramentum habuisse videatur, quod protestantes repudiant (e), vera tamen, hoc licet

A 2

sub-

(e) Vel ad minimum repudiare debent, ut HAVEMANNVS *de iure connub. lib. II. tit. 1.* cum pluribus aliis recte censet. Non omnes vero ab hoc conceptu alienos esse, sed appellationem tantum non rem ipsam repudiare, noto notius est, adeo ut vel ex reliquiis huius sacramenti tot difficultates restitutioni moueri soleant.



subducto, adhuc manet sententia ex adductis rationibus, vt protestantes non immerito causis *arduis & summi præiudicii* easdem annumerent. conf. RICHTER *P. 1. dec. 8. n. 38. sq. & vol. 2. conf. 216.* VVLTEIUS *conf. Marp. 15. n. 256. & 342.* STVCKIUS *conf. 6. n. 127.* MEVIUS *P. 3. dec. 80. n. 1. & P. 2. dec. 364. n. 6.* ZANGER *de except. P. 1. tit. 1. n. 53.*

*Eriam sponsaliorum cause præiudicium non laue habent.*

§. II. Neque vero hoc de matrimonio iam *contracto & consummato* tantum intelligendum, sed in primis de *contrahendo*, seu de *sponsalibus* initis, ex quibus eo grauius imminere potest periculum, quod res adhuc fir integra, & præiudicium ex futuro matrimonio imminens adhuc auerti & præcaueri possit, si ex illo infelicissima fortunarum & consuetudinis viuendi ratio metuenda est, adeo vt pontifex in *c. 17. X. de sponsal.* non inepte censuerit, neminem facile cogendum esse, quod *coactiones difficiles soleant frequenter exitus habere* (f). Quamuis enim conclamatum sit atque extra controuersiam positum, pacta quæuis sancte esse seruanda nec temere a fide data resiliendum, & ita quoque vinculum sponsaliorum sancte colendum; manet tamen adhuc ingens discrimen inter ipsum *matrimonium & spon-*

(f) Imo ea de causa interstitium aliquod inter *sponsalia & coniugium* interponitur, vt ante corporum coniunctionem stabiliatur animorum coniunctio, quæ si præter opinionem deficere videatur, consultius est, præcauere maiora mala, quam reluctantes & discordantes ad copulam cogere. Huc respexit AVGVSTINVS in *c. 39. C. 27. q. 2. institutum est, vt iam pactæ sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suscipi- ranti sponsus dilatat.* Plenius hoc illustrat CYPRAEVS *de iur. commub. c. 1. §. 1.* vbi recte ait, ad obligationem tantum momenti summa cum deliberatione & electione, qua fit recta cum ratione, accedendum esse, & hic si vquam aliam, adhibendum esse illud: *Σπείρειν σπαδάς.*



*sponsalia*, quia illud omnem excludit pœnitentiam & irretractabile est; hoc vero tale vinculum non constituit, sed ex variis causis dissolutionem adhuc admittit, maxime tunc, vbi grauiora discrimina ex ipsa societate coniugali probabilius metuenda sunt, vel alia iustæ causæ adferri possunt, vt non æque difficilem se iudex præbere debeat in *sponsalibus* quam *matrimonii* dissoluendis.

§. III. Vtrum vero etiam iudex, qui *causis matrimonialibus* decidendis præpositus est, iusta adlata causa, contra sponsalia possit admittere restitutionem in integrum, seu illud ipsum beneficium, quod iura pro declinando grauissimo præiudicio & corrigenda lesione, vt dicitur in *l. i. pr. ex quib. caus. mai.* indulserunt lapsis, non caret difficultate, non quidem ex se & sua natura, cum iura ipsa nulla adeo obstacula hic ponant, sed ex præconceptis quibusdam opinionibus, quibus plerique imbuti sunt, vt difficillime se ad concedendum hoc beneficium adduci patiantur. Accedit autoritas tot Ictorum, quæ maius fere pondus in praxi habere solet, quam ipsa iuris ratio, sicuti olim *glosse auctoritatem* omni iuris rationi præponendam esse quidam existimarunt. Ita enim olim rationes ineptissime subduxit RAPHAEL FVLGOSIVS in *l. si solutum C. de obligat. §. act.* Nostri, quanta sit auctoritas glossatorum. Nonne heri dixit Cynus, glossam imendam propter præscriptam idololatriam per aduocatos significans, quod sicut antiqui adorabant idola pro Diis, ita aduocati adorant glossatores pro euangelistis. Volo enim potius pro me glossatorem quam *textum*; nam si allego *textum*,  
dicuntur

Et tamen communitè contra ea auxilium etatis denegant

ex præiudicio auctoritatis.



dicunt aduocati diuerſe partis & etiam iudices: cre-  
dis tu, quod gloſſa non ita viderit iſtum textum ſicut  
tu, & non bene intellexerit ſicut tu? Ego recorder  
(& ſi illud pro nouo) quod, dum eſſem ſcholaris, eram  
ſatis acutus, & dum ſemel eſſemus multi ſocii in vna  
collatione, auſus fui vnum textum allegare, contra  
ſententiam doctoris mei: tantum audaciam habui. Di-  
xit vnus ſocius: tu loqueris contra gloſſam, quae dicit  
ſic? Et ego reſpundi: & ſi gloſſa dicit ſic, ego dico ſic,  
ignarus auctoritatis gloſſatorum. Credebam enim, quod  
eſſent communes apoſtilla, quales ſunt in libris grammati-  
cae, ſicut ſuper Virgilio & Ouidio. Sed tamen non ita eſt;  
fuerunt enim gloſſatores maxime ſcientie viri &  
auctoritatis. Et ſi aliud non eſſet, quam gloſſarum  
ordinatio, & de quibus poteſt dici id, quod arbitror  
de nullo dici poſſe, videlicet, quod totum corpus iuris  
viderunt. Magis ergo eſt ſtandum eis, qui viderunt,  
quam nobis, qui non videmus. Plures eiſmodi  
floſculos adfert HOTTOMANNVS in praef. conſil.  
oſtendens, auctoritatem gloſſatorum olim in iu-  
diciis ſemper praualuiſſe, vt illa ipſa tot commu-  
nes errores progenerauerit, quos ægerrime depo-  
ſuerunt illi, qui ſemel eiſdem fuere innutriti. Cum  
vero hodie per Dei gratiam ab hoc iugo liberati ſi-  
mus, & melioribus inſtructi ſubſidiis, plus videam-  
us, quam olim gloſſatores eorumque affectæ,  
auctoritas tot diſſidentium minime deterre-  
re nos debet ab indagacione veritatis & iuſtitiae  
genuina, ſed eo magis nobis calcar addere, vt non  
quid dictum ſit, ſed quid dici, quid decerni debu-  
erit,



erit, inspiciamus (g). Hoc consilio & proposito quoque ad propositum thema accedo, solius veritatis, quæ vnice ex rationum ponderibus æstimanda est, rationem habiturus, & ostensurus, quæ commoda ex hac doctrina in genus humanum sint redundatura, quæ incommoda ex contraria sententia prouentura, id quod merito in omnibus quæstionibus controuersis simul attendendum est.

§. IV. Quando ergo de *restitutione in integrum contra sponsalia* agendum est, quædam necessario præmittenda sunt, vt status controuersiæ recte formetur. Videlicet (l) hic vnice sollicitus sum de restitutione ex capite *etatis*. Maiorenium restitutionem vel ideo hic non tango, vel in eam ipsam me immitto, quod animaduertent, fere casum deficere, vt restitutione opus esse videatur. Neque enim casu *metus* restitutio est necessaria, qui sponsalia *ipso iure* reddit nulla (h), vt ex professo ostendit Dn. PRAESES *dissert. de coact. matrim. c. 1. §. 7. sqq.* neque ex capite *doli*, qui itidem excludit consensum, & operatur, vt sponsalia prorsus non valeant, & deceptus *ipso iure* tutus sit, vt ostendit

*Agitur hic tantum de restitutione ex capite etatis.*

(g) Id etiam in primis in *quæstionibus matrimonialibus* obseruandum, in quibus infiniti errores ex *iuris canonici* incauta obseruantia & vsu occurrunt, & adeo in consistoriis regnare solent, vt quia CARPZOVIVS hos non semper euitauit, difficulter ab eius auctoritate recedi solet, quod tamen merito fugiendum.

(h) A iure canonico mores nostros deficiisse censet BROUWER *de iur. connub. lib. 1. c. 17. n. 22.* ita vt sponsalia talia demum ope *restitutionis in integrum* rescindenda sint. Verum 1) forsân tantum de moribus Belgicis loquitur, & 2) supponit, iure Romano quoscunque contractus metu initos, etiam b. f. hoc remedio indignis, quod erroneum est.



dit B. STRYKIVS *in tract. de dissens. sponsal. sect. II. §. 14. sqq.* Multo minus ex capite erroris restitutione opus est, qui vel sponsalia annullat, vt distincte IDEM *cit. l. §. 30. sqq.* docet, vel ita comparatus est, vt regulariter culpa haud vacet, qua interueniente, restitutio maiorennibus denegatur. *Non enim, ait ICtus in l. 37. D. ex quib. caus. mai. negligentibus subuenitur, sed necessitate rerum impeditis.* Nec capitis diminutio huc referri potest, quæ eundem, vt olim, hodie effectum non habet. Ceterum vtrum ex *clausula generali pratoria* maiorennibus aliquando contra sponsalia sit succurrendum? (i) eo minus nunc in disceptationem vocandum esse arbitror, tum quod tot iustæ & probatæ sint repudiorum causæ, de quibus egit Dn. PRAES. *prob. repud. caus. vt restitutio in integrum* illis non necessaria esse videatur, tum etiam quod potissimum in *restitutione minorum* mihi defendendum esse duxerim, quæ facilius quam illa desiderari & peti potest, & ita hæc quæstio plus vtilitatis in tritura forensi allatura sit.

*Sponsalia præsupponi debent valida nec repudio subiecta.*

§. V. Præterea (II) præsuppono *sponsalia a minoribus contracta valida & nullo laborantia vitio.* Quodsi enim defectum quendam habent, nec plene absoluta sunt, non opus est restitutione. Proinde iis in locis, vbi pro forma *præsentia testium* in sponsalibus in-

(i) Facile conici poterit, eadem maiori adhuc dubia moueri a dissentientibus, quæ tamen ex infra dicendis quoad maximam partem elidi possunt. Interim negari nequit, difficilius maioribus, restitutionem indulgentiam esse ac quidem minoribus cum his temeritas in actionibus ciuilibus non noceat, bene illis, adeoque vt restitutioni locus esse possit, circumstantiæ singulares concurrere debent.



ineundis desideratur (k), ea adhuc *imperfecta* censenda sunt, quibus hæc solemnitas non accessit. Quodsi ergo vel maxime omnia iam consensu interueniente determinata, composita, transacta, imperfectum tamen adhuc censetur negotium, quamdiu forma, legibus præscripta, quæ dat esse rei, eidem haud accessit, & pœnitentia, sine vlla restitutione, integra est. Talia ergo sponsalia possunt dici *nuda*, h. e. destituta forma sua debita, nec producunt actionem, æque vt nec pacta *nuda* apud Romanos, quæ itidem non obligabant, quod Romani consultius esse crederent, ita conventiones inire, vt *solemni stipulatione* interueniente demum perficerentur. Simili ratione vbi *sponsio solennis* in sponsalibus adhuc necessaria erat, *nuda* promissio de futuro matrimonio ineundo effectum iuris non habebat, & virgo non *desponsata*, sed tantum *pacta* dicebatur: *sponsione* accedente, *desponsata* & perfecte obligata demum erat, docente GELLIO in *N. Attic. lib. IV. c. 4.* Similiter si ex postfacto aliquid in sperati sponsalibus ab initio validis accedit, quod iustam *repudio* causam præbere possit, itidem restitutione non est opus, cum alia iusta causa adsit, quæ recusantem liberet, c. 25. *X. de sponsal.* adeo vt

B

ne

(k) Hanc vel ideo plerorumque locorum constitutiones desiderare solent, vt ex hoc publico signo constet, tum sponsalia haud substituisse in nudis tractatibus, sed perfecta esse; tum etiam, vt deliberatissima mente, sine ulla præcipitantia, ad sponsalia accedatur. Vbi hæc forma non desideratur, infinitæ lites existere solent de *sponsaliorum perfectione*, reis semper obicientibus, se hæcenus in nudis substituisse tractatibus: præcipitanter omnia fuisse peracta: non omnia determinata, quæ determinari debuissent, tamdiu autem actum imperfectum censeri debere, donec ad perficiendum quid superest, l. 11. C. de his quib. vt indign.



ne quidem iuramentum, quod restitutionem minorum impedit *per aub. Sacramenta puber. C. si adu. vendit. in his nouiter emergentibus causis minoribus impedimento sit per cit. c. 25.*

*Hic non questio est de iure civili sed hodierno.*

§. VI. Vltcrius (III) præmitto, hic non esse quæstionem formandam de *iure civili*, sed de hodierno iure. Illud restitutionem in integrum minoribus contra sponsalia eo minus denegasset, si illam iisdem necessariam esse credidisset, quo magis illa præiudicia, quibus hodie orbis fascinatus est, ignorat penitus. Enim vero iurisprudencia Romana recentior libertatem *repudiorum* adeo laxauit, vt vel citra iustam causam a sponsalibus resilire integrum esset (1). Loquor de iurisprudencia recentiori. Iam enim obseruaui, ex testimonio GELLII, sponsione interueniente, olim obligationem efficacem ex sponsalibus natam fuisse, vt, si non duceretur desponsata, vel hæc sponsalium fidem frangeret, ex *sponso* daretur actio ad *interesse*, ad quod præiudicium auertendum eo tempore utilis potuit esse in integrum restitutio. Enim vero paulatim solemnis *sponsio* remissa, permissumque, vt *simplici* contraherentur sponsalia consensu, vt rursus testis est GELLIUS, atque ita, more veteri sublato, nomen *sponsaliorum*, a *sponsione* deductum, remansit. BROWWER *de iure connub. lib. 1. c. 1. n. 8.* Non vero remansit antiqua sponsaliorum efficacia, sed *spes nuptiarum* vnice inde nata est, vt dicitur in *l. 6. D. de sponsal. eaque*

(1) Quod vel ideo permissum tandem fuit, quia ipsa matrimonia admodum lubrica erant, ex libertate *diuortiorum*, quæ multo magis re integra permitti debuit. Plenius hoc thema exornauit CYPRAEVS *de iur. connub. c. 13. §. 7. 8.*



eaque lubrica, incerta, anceps, inefficax. Neque enim ex *sponsalibus* amplius vllam dandam esse actionem, censuerunt Romani, vt etiam ab iis recedere possent, si vel maxime stipulatio, eaque pœnalis, adiecta iis fuisset, quod inhonestum eo tempore visum fuerit, vinculo pœnali obstringi matrimonia, quæ libera esse debuere. *l. 71. §. 1. de condit. & demonstr. l. 134. de verb. oblig. l. 2. C. de inutil. stipul.* Permissa ergo semper erat pœnitentia, vt adhuc tempore **DIOCLETIANI** desponsata puella conditioni renunciare, & alii nubere haud prohibita fuerit, *l. 1. C. de sponsal. l. 2. C. de repud.* qua libertate supposita, de restitutione in integrum danda haud implorandus erat prætor. Postea frenum quoddam iniectum fuit huic licentiæ, constituta pœna quadrupli cum restitutione arrharum in refractariam puellam, quæ temere sponsalia perficere recusabat, vt docent *l. 6. C. Th. de sponsal. l. vn. C. Th. si nupt. ex rescript. per. l. un. C. Th. si prov. rector*, quo rerum statu restitutio in integrum minori lapsæ iuuenili ætate utilis esse potuit. Verum mox rursus scena mutata, & anno 469. in *l. 5. C. de sponsal.* hæc pœna sublata, cautumque, vt *minorennis* tantum id, quod accepit, redderet, quo ipso causa omnis restitutionis cessauit, aliunde satis tuta existente. Neque vero sponsaliorum hæc licentiosa nimis renuntiatio illis temporibus ignominiosa alicui aut dedecori fuit, nec laborauit mulieris ex repudio pudicitia & existimatio, vt recte obseruat **BROVWER** *cit. l. lib. 1. c. 24. n. 14.* quamuis hodie aliis viuatur moribus. Iure enim *cano-*



nico (m), quod optima fundatum est ratione, sponsalibus eadem vis, quæ aliis contractibus inest, data atque tributa est, vt regulariter, convenienti quamuis modo, contumax puella, deficiente omni iusta repudii causa, cogi possit, ad sponsalia per matrimonium consummanda. Posito ergo hoc vinculo, hodie quæstio de restitutione in integrum moueri potest.

Nec huc pertinet casus de rescindendis sponsalibus ex capite contumaciae.

§. VII. Adde (IV) etiam hoc, quando de restitutione in integrum quæritur, id potissimum in quæstione esse, an & quatenus ex equitate ita rescindi sponsalia possint, vt vtrique data & accepta restitui, sponsus vero contra puellam minorennem (vtpote in quam fere ordinarie tantum hic casus cadere potest; cum in sponso vt plurimum illud TACITI obtineat: *sera apud Germanos* venus) nec iniuriarum nec ad interesse agere possit. Hæc enim est vis, hæc restitutionis natura, vt omnia in priorem restituantur simpliciter statum, & minorennis ab omni læsione immunis præstetur. Ergo illum hic penitus excludo casum, vbi tandem rescinduntur sponsalia ob contumaciam sponsæ refractariæ, quod, vbi sponsa iam excessit minorem ætatem, contingere potest. Neque enim absoluta coactio decerni potest, quam etiam ius canonicum reprobat in c. 17. X. de spon-

(m) Equidem etiam de hac quæstione adhuc disceptant inter se iuris huius interpretes, quibusdam putantibus, ex sponsalibus de iure, etiam puri, actionem hoc iure non nasci per c. pen. X. de sponsal. aliis vero in contrariam sententiam euntibus; aliis rursus varie distinguentibus, vt obseruat BROUWER de iur. connub. lib. 1. c. 24. n. 19. Enimvero non dubitandum est, quin hoc iure perfecta obligatio ex sponsalibus nata fuerit, vt e. 10. §. pen. X. de sponsal. indicat, docetque, ob violationem fidei penitentiam etiam fuisse indictam.



*sponsal.* sed probatis sponsalibus, pronunciatur quidem: und ist Beklagtin zu Vollziehung der Ehe durch gebührende Zwangsmittel anzuhalten, quoniam etiam si surdæ narratur fabula, multa vel carcere tentari potest, an sententia dictata possit executioni dari, obseruante MEVIO P. III. dec. 383. Ceterum ubi omnia remedia coactiua incassum adhiberi iudex animaduertat, tandem ex veriori sententia (n) sponsalia rescindit, & refractariam ad omnes refundendas expensas & satisfactionem priuatam prætereaque ad soluendam multam condemnat, cum dispendio arrharum, vt optime obseruant MEVIUS cit. l. decif. 382. STRYK. de diff. sponsal. sect. 2. §. 5. sqq. & plenius euicit Dn. PRAES. diff. de matrim. coacto c. II.

§. VIII. Denique (V) hic tantum sollicitus sum de sponsalibus puris, vtpote circa quæ vtplurimum plures fluctus moueri solent. Vtplurimum nostrates sponsalia *conditionata* appellare solent de futuro, quibus vinculum non adeo tribuendum esse censent, adeo vt quidam nudos tractatus iis inesse persuasissimum habeant. Vtut vero id merito repudiandum sit, facile tamen nostrates admissuri sunt, contra ea, si aliquid roboris eis adhæreat, restitutionem concessam esse, quod in iis deficiant illa im-

*Agitur hic tantum de auxilio ætatis contra sponsalia pura.*

B 3      pedi-

(n) Medium illud, quo inuiti copulantur, admodum periculosum esse, recte cum CARPZOVIO statuit HAVEMANNVS de iur. comm. lib. I. tit. XI. §. 5. adeo vt si inuiti, obtorto collo, copulati fuerint, id de facto potius quam de iure factum fuisse dici queat, vt tale matrimonium subsistere non possit, quod elegante præiudicio confirmat Dn. PRAES. diff. de coact. matrim. c. II.



pedimenta, quæ in *puris* se inuenisse existimant (o). Ad minimum illud euidens est, si probatum euitumque fuerit, contra sponsalia *pura* dari restitutionem in integrum, multo magis eandem permissionem esse contra sponsalia *conditionata*. Alias quidem ita formare solent controversiæ statum: *virum puella minoræ contra sponsalia de præsentibus restituere possit in integrum?* Verum studio abstinui ab hac incommoda appellatione, quæ vnice omnium difficultatum & errorum fomes fuit. Dum enim sponsalium de præsentibus mentionem faciunt, non alia quam *pura* intelligunt, non vero illa ipsa, quæ ius canonicum hac voce adumbrat, utpote protestantibus incognita prorsus & aliena (p), ut de illis quærere non sit opus. Vid. interim STRYK. de *dissens. sponsal. sect. 1. §. 22.* Ad minimum tum ipsum ius Canonicum sponsalia de futuro tam *conditionata* quam *pura* agnoscit per c. 2. X. de sponsal. ut erroneum sit, hoc iure sponsalia *pura* esse de *præsentibus*; tum etiam ratio iuris docet, *conditionem* speciem negotii non mutare, sed ad eius *accidentia* referendam esse, cum omnis conuentio possit fieri vel *pære* vel *in diem* vel

(o) Concedant enim plerique sponsalia de futuro, qualia *conditionata* censentur, mutuo dissensu dissolui posse, ut CYPRAEVS de iur. conub. c. 13. §. 12. ostendit, qualia quæ sunt, etiam restitutioni subiecta sunt.

(p) Equidem in sensu iuris canonici eum sponsaliorum de præsentibus casum superesse censeo, si puella desponsata a sponso imprægnata fuit, vel hic eum ea concubuit, quia per *concubium* subsecutum ediderunt *consensum conjugalem*, qui *vinculi* indissolubilitatem operatur. Sed vix est, ut hoc casu puella sit desideratura restitutionem in integrum, postquam res esse desinit integra, vel si hoc desideratura est, vix ei assentiendum.



sub *condicione*, vt optime obseruat B. COCCEIVS de *matrim. moment. sect. III. §. 6.* Interim quia sponsalibus *puris* in foris nostris grauis controuerfia vt plurimum formatur, malui circa hæc, quæ etiam frequentiora sunt, primario occupatus esse.

§. IX. Tandem (VI) parum in hac controuerfia interesse arbitror, vtrum puellæ pater, ea annuente, se filiam locaturum nuptui promittat; an vero ipsa puella fidem de coniugio ineundo immediate det. Quamuis enim B. COCCEIVS *cit. l. §. ii. sqq.* hic aliquid interesse, & hoc discrimen esse ponendum arbitretur, quod in sponsalibus vertatur factum patris, se filiam locaturum nuptui spondentis: in nuptiis autem ipsum coniugium, vinculum & factum sponsæ (dum scilicet coram parochio in ecclesia in *presens coniugium* consensum edit) *quo ipso, pergit, obligatur ad eius coniugii consummationem, que proinde eadem differentia est sponsaliorum de futuro & de presenti; hæc enim nuptiæ sunt ipsæ; hoc tamen discrimen vel plane caret fundamento, vel hic applicari nequit.* Nam I) non semper in sponsalibus *factum patris* vertitur; quid enim si puella minorennis sui iuris & pater mortuus sit? quis negauerit eam sponsalia contrahere, & dum ea contrahit, nondum ad *matrimonium* accedere *presens*? II) Vbi vel maxime hodie, patre viuente, sponsalia ineuntur, non tamen amplius, vt olim iure Romano (q), pater pro luto

*Parum refert, vtrum filia sponsalia immediate contrahat, an vero pater nomine eius.*

(q) Quod optime illustrat CAROLVS ANNIBAL FABROTTVS *ex. 10.* Scilicet distinguendum erat inter filiam in *sacris paternis* existentem & *emancipatam*. Nomine eius sponsalia pater inibat, cui filia regulariter



bitū despondere potest filiam *l. 12. pr. de sponsal.* Sed potius factum sponsæ in sponsalibus hodie prædominatur, adeo, vt quando illa in ea haud consensit, sponsalia sint nulla, nec vlla restitutione indigeant? Manent ergo eadem sponsalia nec diuersa constituuntur, siue filia in ea consensit sola, patre mortuo: siue, eo viuente, filia consensum edat, patris facti simul concurrente. Quid? quod III) si pater iustas dissentendi causas nullas habeat, consistorii decreto interueniente sponsalia fieri possunt, nullo facto patris concurrente; quamuis ne sic quidem in matrimonium degeneret. Denique IV) si consensum puellæ in præsens coniugium, quam tempore hierologix edit, pro sponsalibus de præsentia accipere volumus, ludimus in terminis, & negotio præter necessitatem aliud affingimus nomen, quam par erat. Neque enim eo momento, quo hunc consensum edit, sponsalia amplius subsistunt, sed mox in verum trans-eunt matrimonium, quod consensus coniugalis constituit, non concubitus. *l. 30. de R. I. l. 15. de condit. & demonstr. l. 65. de donat. int. vir. & vx.* Atque contra coniugium hoc modo contractum non dari restitutionem in integrum facile largior, cum illud hodierno iure vinculum indissolubile constituat, in quo omnes iuris interpretes vno ore conspirant. HILLIGER. *Donell. lib. XXI. c. 12. lit. f.* SEFORT. *ODDVS de restit. in integ. P. 2. qu. 60. art. 1. &*

Contra matri-  
monium non  
datur restitu-  
tio in inte-  
grum

reclamare non poterat, *l. 12. de sponsal. & sic factum patris* primario in his sponsalibus aderat. In sponsalibus vero ab emancipata contrahentis factum & patris & filix concurrebat, vt FABROTTVS eleganter illustrat, vt proinde nec de iure Romano solum factum patris sponsalia constituat.



1. § 2. LAVTERBACH. *ad tit. de minor. §. 29. STRVV. ex. 8. th. 57.*

§. X. Hæc præmittenda esse censui, vt omnis euitaretur caullatio, & de quo disceptatio præfens suscepra sit, constaret. Plerosque restitutionem in integrum puellæ, quæ pure sine omni conditione de contrahendo matrimonio fidem dedit, denegaturos esse, facile præuideo, cum credant, eadem impedimenta hic concurrere, quæ denegant restitutionem in integrum contra ipsum matrimonium. Etenim (l) diuersam esse rationem contractuum aliorum & sponsaliorum aiunt; in illis adesse vinculum iuris humani; sponsalitiã autem obligationem iuris diuini, adeoque illam laxari posse mutuo dissenso, imo etiam mediante restitutione in integrum ex iusta causa tolli, non æque hanc, cum quos Deus coniunxit, homo minime separare debeat. Si ergo ne quidem ex mutuo consensu ab illis recedere possunt, ex sententia STRVVII in *iurisprud. lib. I. tit. VI. §. 18. MEVII p. 5. decis. XII. n. 3. CARPZOVII lib. III. resp. 57. n. 6. (r)* aliorumque, cuius est, plus roboris sponsalibus ac quidem reliquis inesse conuentionibus, quod vnice ex præcepto Dei deriuandum, quod hanc separationem prohibet, & ita quoque iudici facultatem adimere censetur, puellam ex capite ætatis contra ea restituere in integrum, cum illa, quæ spiritualia sunt, facilius con-

Rationes dubitandi contra restitutionem in integrum.

1) quod in sponsalibus obligatio fit iuris diuini.

(e) Diserte hic ait: nec enim sponsalia de præfenti (sub quibus pura intelligit) solo ac nudo contrahentium consensu contrahuntur, vt præterea nudo vicissim dissenso dissoluantur, sed a Deo colliguntur, & ab ipso auctori- ritate & voluntate dependent.



struantur quam destruantur, vt ait CARPZOV. *lib. 5. resp. 108. n. 18.*

2) Quod contra  
matrimonium  
denegatur ve-  
nitio

§. XI. Præterea quia (II) iam concessum est, contra *matrimonium* denegari omne ætatis auxilium, merito quoque idem denegandum esse videtur contra *sponsalia pura*, adeo vt iuris interpretes, dum contra matrimonium hoc auxilium locum habere negant, nequidem de *sponsalibus* quæstionem moueant, sine dubio existimantes, idem de *sponsalibus puris* dicendum esse, vt testantur autores antea adducti, & in genere in causis matrimonialibus hoc beneficium ætatis excludunt. Huius sententiæ sine dubio hæc ratio est, quod talia *sponsalia* sint & dicantur *matrimonium iniunctum*, quippe quod solus consensus facit. Vnde etiam iure diuino sponsæ quandoque appellantur *uxores*, vt *Gen. XXIX, 21. Deut. XXII, 24. Matth. I, 20. Luc. II, 7.* adeo vt sponsa, alteri sui copiam faciens, *adulterium* commisisse dicatur, *Hof. IV, 13.* etiam secundum ius ciuile per *l. 13. §. 3. D. ad l. Iul. de adul.* Inde patres olim tradiderunt, sponsam ab vxoribus quoad effectum *vinculi* non differre, adeoque valere argumentum a *matrimonio* ad *sponsalia pura*, qualia testimonia collegit GRATIANVS in *C. 27. q. 2.* & pluribus illustrauit DARTIS in *comment. ad decret. cit. l.*

3) Quod spon-  
salia pura sint  
de præsent.

§. XII. Primarium autem (III) fundamentum dissentientium inde est petitum, quod communiter tradi solet, *sponsalia pura* esse *sponsalia de præsent.* Ita censuit B. LV THERVS in libello von Ehe-Sachen putauitque, *sponsalia* tunc demum rectius dici *de futuro* posse, wenn eine conditio, Anhang oder Auszug dabey gesetzt wird, qua non adiecta, potius de  
pre-



*præsenti* dicenda, quod *verbis de præsenti*, non conditione suspensis, fidem dederit puella minor. Eandem sententiam Icti protestantes postea propagarunt, & Theologi quoque in suos traxere vsus, vt ostendit STRYKIVS *de diffens. sponsal. sect. 1. §. 24.* quod vel ea ratione defendi posse censuere, quoniam discrimen, quod ius canonicum hic constituit, subtile & plus quam scholasticum & in sola verborum formula quæsitum est, tricas parere magis aptum, quam rei veritatem denudare. Iam vero ius canonicum decernit, sponsalia *de præsenti* esse ipsum matrimonium, & in eandem sententiam a nostratibus quoque itum est communiore calculo. Ita docet pontifex in *c. 14. X. de conuers. coniug. c. 22. & 31. de sponsal.* quod per verba *de præsenti* ipsum matrimonium personæ contraxisse intelligantur, adeoque vinculum indissolubile, quod omnem restitutionem excludit, constituatur. Ita cum pontifice rationes subducit CARPZOV. *lib. 2. iurispr. consist. def. 17. n. 5. aiens: sponsalia de præsenti pro nuptiis & matrimonio initiato licet nondum benedictione ecclesiastica firmata & consummato habentur.* Inde nec iuramentum contra sponsalia pura nec transactionem nec compromissum admittunt, vt ex vulgatis doctrinis tralatiuum est, examinatis a Dn. PRÆSIDE *diff. de incongr. applicat. distinct. inter spons. de præs. & de fut. ad fora protest. c. 11. §. 2.*

§. XIII. Vtcrius (IV) vel inde denegari possit restitutio in integrum puellis minorennibus, quod sponsalia pura sint negotium aliquod spirituale & ecclesiasticum, humano arbitrio prorsus exemptum

4) Quod sponsalia sine negotium spirituale le.



tum (s). *Deus enim, vt ex mente diffidentium ait STRYKIVS de diffens. sponsal. sect. 3. §. II. est auctor coniugii & sic quoque sponsaliorum, ideoque magna deliberatione ad id accedendum, nec permittendum, vt illi, qui semel fidem pure dederunt, rursus consilium mutare, & Dei fœdus ludibrio habere possint. Nam si vilissimarum rerum passionibus non stare nefas & indecorum habetur, nonne iniquissimum videbitur, pacta de fœdere matrimonii sanctissimo violare, vtpote quæ non a contrahentium, sed a Dei auctoritate dependent.* CYPRAEVS de sponsal. c. 13. §. II. n. 2. Hac de causa etiam hodie inter protestantes sponsaliorum causæ in consistoriis tractantur, iudicio certissimo, eas cum reliquis negotiis mere civilibus, contra quæ datur restitutio in integrum, conferri nullo modo posse. Hæc quippe arbitrio hominum sunt subiecta, non item illæ, & sic nec pro arbitrio iudicis rescindi posse videntur.

3) Quod æquitas hic deficiat.

§. XIV. Porro (V) sicuti fundamentum restitutionis in integrum vnice ex æquitate petendum est, l. 1. §. 7. de in integr. restitut. l. 1. de minor. ita iuste dubitari posset, vtrum æquitas aliqua rescissionem sponsaliorum ex capite ætatis suadere & admittere valeret? Metuendum forsitan scandalum insignis, si hi, qui fidem pure de matrimonio in eundo sibi inuicem dederunt, ad instantiam vnius a sponsalibus impune recedere permitterentur, quod tamen, indulta restitutione in integrum, necessario

(s) Generaliter porro docent interpretes, in spiritualibus ætatis auxilium profus deficere, quod in his minor pro maiorenni habeatur, c. 3. de iudic. in 6. de quo agit COVARRVV. lib. 1. resol. c. 5.



rio contingeret. Admisso enim vno alteroue exemplo, plures idem ius sibi vindicarent, & mox ad auxilium hoc atatis prouocarent. Ita vero nunquam secure cum puella minorenni sponsalia contrahi possent, cui semper, si postea pœnitentia tangeretur, ad hoc auxilium pateret aditus, quod tamen res pessimi videtur esse exempli. Aequitatem autem talem constituere, quæ haud caret scandalo, quæ sanctissimum hoc fœdus violat, ludibrio habet, tollitque, omni iuri aduersum videtur, imo etiam a mente pratoris alienum, qui edictum de minoribus restituendis iuxta *l. 1. de minor.* proposuit, *naturalem aequitatem secutus*, quæ hoc in negotio cessare videtur; deficiente autem legis ratione, lex ipsa omni destituitur applicatione.

§. XV. Hac de causa (VI) sine dubio denegata fuit restitutio in integrum contra *dationem libertatis* obtentu ætatis petita, adeo vt ne quidem sententia pro *libertate*, postquam in rem iudicatam transit, rescindi hoc remedio potuerit. *l. f. C. si aduers. libert.* Ratio huius dispositionis vnice petenda est ex singulari libertatis fauore, ob quem legislatores multa contra communes regulas statuerunt, vt fatetur imperator in *s. f. I. de donat.* adeo vt commodo pecuniario eius causam præferendam esse duxerint. *§. 1. I. de eo cui libert. caus. bona addic.* Parem fauorem habent causæ matrimoniales, quæ diserte inter *causas favorabiles* referuntur in *c. f. X. de sentent. & re iudic.* & cum *libertatis* causa coniunguntur, vt in dubio pro illis pronuntiandum sit. Sicuti ergo contra libertatem non datur *restitutio*, ita nec contra *sponsalia*, cum eundem habeant

6) Quod causæ matrimoniales sint favorabiles, quæ auxilium ætatis non admittunt.



ant fauorem, vid. MANZIUS in *special, in iure comm. tit. matrimonii fauor. & honor.* Denique cum non desint argumenta restitutionem dissuadentia & denegantia, illa merito præferenda argumentis restitutionem indulgentibus, cum in dubio pro *favorabiliori causa* eiusque conseruatione pronuncian-  
*cit. c. f.*

7) Quod læsio  
 in patrimonio  
 hic cessare vi-  
 deatur.

§. XVI. Denique (VII) quod potissimum hic ponderandum, omnis restitutio ex capite ætatis *læsionem* quandam seu captionem præsupponit, quæ rite probanda, vt absque ea minori ea haud indulgeatur; *l. 5. C. de in integr. restit. minor. nec enim utique, qui minor est, statim & circumscriptum se docet, vt ait VLPIANVS in l. 9. §. 4. de iureiur.* Læsiõ autem vix alia concipi potest, quam in *patrimonio*, cuius deminutio vel neglectum argumentum demum læsionem parit. Talis vero læsiõ in *sponsalibus* deficere videtur, in quibus non agitur de commercio rerum & bonorum, sed de confortio sobolis procreandæ gratia inito, de amore coniugali, & fide sponsalitia. Quomodo ergo puella minorennis probabit, se esse læsam & lubrico ætatis captam? Si postea displicet sponsus, si mores eius ferre nequit, si diuersum viuendi vsu desiderat, si denique ex aliis causis auersum ab ipso animum ostendit, hoc ipso nullam *læsionem* probat nec probare potest. Si obiicit, conditionem suam per tale matrimonium deterio-rem fieri, vix audienda videtur, cum tantum de commodiori viuendi conditione sollicita esse videatur, nec eo ipso quoddam in bonis suis patiatu-  
 detrimentum. Contra dotem immodice constitutam quidem auditur & restitui-



stituitur per *t. C. si adu. dot.* at vero in hac causa læsio & quidem in *patrimonio* allegari & doceri potest, non item in *folis sponsalibus, quæ simplicem faciendi obligationem* continent, nec ullam videntur causam bonorum annexam habere. Deficiente itaque læsione, deficit quoque fundamentum restitutionis, & ita ex his argumentis statuendum esse videtur, puellæ minorenni contra *sponsalia pura* auxilium ætatis esse prorsus denegandum.

§. XVII. His obiectionibus restitutio in integrum contra *sponsalia pura* in dubium vocari vel plane negari solet. Cum vero rationes adductæ id non euincant, quod euincere debebant, & præterea plures petant id, quod est in quæstione, non denegandum esse minoribus auxilium ætatis crederem, si iustæ circumstantiæ adductæ illud postulare videntur. Antequam autem hanc sententiam idoneis argumentis exornem & confirmem, præmittam quorundam Ictorum assensum, qui eandem sententiam propagarunt. Primus est B. STRYKIVS, Ictus magni nominis, qui in *not. ad LAUTERBACH.* & quidem ad *p. 83. tit. de minor. voc. matrimonium* ita censet: *Intelligendum hoc de matrimonio iam tum consummato, quia in spiritalibus, quorsum refertur matrimonium, omnis restitutio cessat. Dd. id quidem etiam ad sponsalia extendunt; verum hic succurrendum putarem. In sponsalibus enim non adest vinculum indissolubile, quod propter unitatem carnis in matrimonio, ex iuris diuini dispositione, subest, sed in nude conventionis terminis subsistunt, & hinc nullum arctius vinculum habere possunt, quam in quolibet alio honesto pacto.* Contra hoc autem restituitur maior.

Deciso pro  
restitutione

cum Ictorum  
quorundam  
assensu: vsq  
Strykii

Bronwervi

qui



qui in tract. de iur. connub. lib. 1. c. 15. ex professo agit de restitutione in integrum minorum, si constitutis sponsalibus læsi dicantur, simulque docet optime, quæ ratione minores in sponsalibus initis læsi dici queant.

Grönewegii Tertius est GRÖNEWEGEN de LL. abrogat. ad l. 1. C. de sponsal., vbi præmittit generalem doctrinam de obligatione sponsalium, quæ id operatur, vt inuiti possint cogi ad consummandum matrimonium, adiecta tamen hac limitatione: *saluo sicut in ceteris contractibus, ita & hic minoribus 25. annis in integrum restitutionis beneficio.* Quartus est SIMON VON LEEWEN in cens. for. P. 1. lib. 1. c. 11. n. 13. qui frequens esse ait, vt minores contra sponsalia, sicut contra alios contractus restituantur. Quintus est IOANNES VOETIUS in comment. ad pand. tit. de sponsal. § 17. qui eandem sententiam recepit, asserens, *quæuis minori 25. annis contra matrimonium iam contractum haud videatur indulgenda restitutio in integrum ad resolutionem eius, tamen quantum ad sponsalia attinet, minoribus aduersus ea, sicut aduersus alios contractus damnosos, ob iustas causas auxilio ætatis subueniri.* Sextus est ill. BERGERVS in elect. process. matrimon. §. 18. penitus subscribens sententiæ B. STRYKII asserensque, *in sponsalibus non deesse rationem, quamobrem restitutione locum concedamus: namque, ait, in illis vinculum indissolubile, quod propter unitatem carnis in matrimonio ex iuris dispositione subest, nondum cernitur, vt propterea vii aliud quoduis pactum, ita & conuentio sponsalitia, petita ex causa ætatis in integrum restitutione, queat retractari.* Denique hanc sententiam quoque approbavit BRÜCKNERVS in decis. matrini. c. 1. n. 76. BROVWERIANAM doctrinam.

Grönewegii

Leeuwenii

Voetii

Bergeri

Brückneri



doctrinam laudando. Non ergo hæc sententia, vt vulgo creditur, tam inops omnis auctoritatis, quin potius præstantissimorum Ictorum suffragio suffulta est, vt eo securius in scenam & forum prodire possit.

§. XVIII. Et cur non tuta in forum & cathedram prodiret, cum (1) ex sponsalibus contractis sæpe alicui possit imminere præiudicium futurum insignne & admodum graue, quod declinari potest & auerti per restitutionem in integrum? Ostendi id ipsum in §. i. sqq. ex natura matrimonii & sponsalium, & cum minores contra negotia minoris præiudicii in integrum restituantur, cur denegandum iis esset *auxilium ætatis* contra instantem societatem, quæ naufragium irreparabile, iacturam omnis fortunæ, & infinita alia incommoda ei adferre posset? Cum enim nauis adhuc in portu sit, durum foret, minorem adigere, denegato & subtracto omni subsidio, vt se in ipsum mare, ventis iam ita agitata, vt probabiliter naufragium immineat, immittat, suamque salutem fluctibus hisce incertis committat. Ideo *intelam minorum* prætor, naturalem æquitatem secutus, suscepit, vt, *quia inter omnes constat, fragile esse & infirmum huiusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum, contra captiones opulationem iis polliceatur*, vt ait Ictus in *l. i. pr. de minor.* Est videlicet in confesso, minores, maxime puellas, *persuasionibus & blanditiis* facile capi, vt quamuis nullo circumueniantur *dolo*, facile tamen sine matura deliberatione, & omnium circumstantiarum necessaria consideratione consentiant, & ita se capi

D

patian-

Rationes decid.

(1) quod grauissimum quandoque minoribus imminere possit præiudicium ex matrimonio:

contra quod prætor minoribus succurrit,

quod facile in sponsalibus capi queant,



patiantur. In finitæ iis strui possunt insidiæ, etiam ab amicis, cognatis, aliisque, quibus resistere non semper possunt, sed infirmæ iis succumbant, mox tamen animaduertunt, se captas esse promissione præpostera, seque in admodum ambiguum discrimen incidisse; cur itaque contra hanc *captionem insidiasque* iis non esset succurrendum? Fac, puellam quindecim vel sedecim annorum peti a quodam in matrimonium: cognatos eandem sollicitare, vt repromittat: amicos conditionem nubendi oblatam laudare, commendare, approbare: procum blanditiis variis infirmum puellæ consilium oppugnare, illamque tandem in sponsalia pure consentire, adstantibus cognatis aliisque testibus. *Capta iam est, non quidem dolo amicorum & cognatorum, quem hic plane excludimus, sed persuasionibus, laudationibus, commendationibus, in eiusmodi negotio vsitatis; capta est blanditiis sponsi hoc sensu, vt secundum hodiernum ius vinculo iuræ adstricta sit, vt dici solet, sie ist gefangen.* Cur itaque contra hanc *captionem* ei denegandum esset ætatis auxilium, si paulo post animaduertit, mores sponsi, quos antea non satis examinavit probavitque, a suæ vitæ vsu esse alienissimos: ipsum ad *prodigorum* inclinare consilia: rei domesticæ non sufficere: otio magis deditum esse, quam laboribus, reditusque adeo tenues habere, vt inde onera matrimonii, etiam dote superaddita, ferre nequeat, adeoque per *marrimonium futurum* suam conditionem fieri deteriozem. Equidem hæc omnia & similia p̄scrutanda erant & sedulo peroluenda animo ante consensum purum in sponsalia datum; in hoc ipso vero *lubricum ætatis* consistit,

in



in hoc quærenda *consilii infirma facilitas*, quod absque examine sedulo & accurato se capi passa fuerit puella, & ideo ad maius præiudicium auertendum auxilium ætatis recte implorat, postulat, vrget. Nec sufficiens dari potest ratio, quæ iudicem ad dene-gandum hoc auxilium mouere posset. Quod si enim non tantum prætor minoribus succurrit, dum de bonis eorum aliquid minuitur, sed etiam cum interfit eorum *libibus & sumptibus non vexari*, vt ait Ictus in *l. 6. D. de minor.* in quo præiudicium tanti momenti non occurrit; quanto magis eis subueniendum est, si maius & grauius illis imminet per *matrimonium futurum*, quod indissolubilem societatem continet, & vnde omnis vitæ salus in posterum dependet. Grauius nullum fingi & excogitari præiudicium, quam si in hoc negotio erratur, vbi obtinet illud: *non bis ad eundem.*

§ XIX. Præterea vero (II) *sponsalia pura* nihil in se continent, quod hoc auxilium ætatis excludit. Sicuti enim contra quæuis pacta, quibus ex *infirmisate consilii* consensum dedit imprudens & temerarius minor, restituitur in integrum, *l. 7. D. de minor.* ita quoque contra *sponsalia pura*, in quæ imprudenter & temere consentit, restituenda est puella, cum arctius vinculum in his non deprehendatur. Id optime obseruant auctores supra *s. 16.* laudati, & ideo *auxilium ætatis* puellæ indulgent: id imprimis eleganter exposuit B. STRYKIVS in *er. de dissens. sponsal. sect. III. §. 19. §. 19.* & §. 23. ex vero asseruit, *nullum aliud vinculum in his sponsalibus subesse, quam conuenientis, quod obligandi efficaciam habet ex sola partium voluntate.* Neque enim

*& prætor etiam in leuioribus succurrit.*

(2) *Quia sponsalia a ceteris conuenientibus non differunt.*



*Sponsalia pura sunt ipsum matrimonium, sed mentio & repromissio pura futurarum nuptiarum, adeoque mediante simplici conuentione de coniugio ineundo contrahuntur. Defunt adhuc omnes matrimonii contracti effectus, iura, & rationes, & infinitis modis sponsalia talia ab ipso matrimonio differunt, vt ostendit Dn. PRAESES diff. de diuerso sponsalium & matrimonii iure.*

(3) Quod in iis  
deficit ratio, quæ  
contra matri-  
monium resti-  
tutionem ex-  
cludit,

non in iis inest re-  
spectus spiri-  
tualis.

§. XX. Cessat quoque (III) in his sponsalibus ratio, quæ *auxilium etatis* contra matrimonia contracta non admittit. Duas omnino causas adferre solent, quæ restitutionem in integrum contra contractum matrimonium impediunt, quas refert L. B. de LYNCKER. *resp. 70. n. 22. sqq.* (I) quod matrimonium non modo sit *causa spiritualis*, in qua minoris imprudentia non attenditur; verum etiam (II) quod res per se & natura sua, postquam perfecta est, *indissolubilis* sit, qualia quæ sunt, non nisi ex causa eorundem congrua & iure in id definita, vt sunt in matrimonio *causæ diuortii*, rescindi possunt. Vtraque ratio in sponsalibus notorie extulat. Prima petita est ex principiis iuris canonici, quod matrimonio inest *sacramentum*, & inde *spiritualibus* accensendum *negotiis*, quod tamen nostrates reprobant in matrimonio; quomodo ergo in *sponsalibus* hisce id admitterent? cum hoc nequidem ecclesiæ Romanæ affectæ in his *sponsalibus* collocent. Ait pontifex in *c. s. X. de bigam. non ordin. profecto coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium, quod inter Christum & ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum.* Iam vero sponsalia pura tale coniugium



jugium, quod *commixtione corporum consummatum* est, non sunt, ergo hoc respectu ad *spiritualia* referri nequeunt. Agnoscit (t) imbecillitatem huius rationis ipse LYNCKERVS in *anal. ad Sirau. synt. iur. ciu. tit. de minor. p. 84.* aiens: *Spirituale quoque dicitur matrimonium. Sed tamen magis ob hoc restitutionem non admittit, quoniam habet vinculum humano iure indissolubile.* Agnouit idem pontifex in *c. 2. X. de sponsal. vbi de sponsalibus puris* disertis agit verbis, admittit tamen, mutuo consensu ad instar alterius *societatis* ea dissolui posse, quod minime admisisset, si in iis iam *sacramentum* seu *spiritualem qualitatem* occurrere credidisset; imo nec argumentum a contractu *societatis* adduxisset, si talia *pura sponsalia*, quæ de *ineundo matrimonio* contrahuntur, iam *spirituali negotio* accensenda esse censuisset. Præterea vero altera ratio euidenter hic cessat, quia sponsalia pura *vinculum sua natura indissolubile* non operantur, vt modo dixi & ex *cit. c. 2.* demonstraui, sed confessione omnium plures repudii causas admittit, quæ minime cadunt in matrimonium iam contra-

D 3

ctum.

(t) Non æque eam agnouit CARPZOV. lib. II. in *rispr. Confist. def. 21. n. 7.* admodum ieiune ita edisserens: *matrimonium non est contractus tantummodo civilis, sed res conscientie & tale negotium, cui character spiritualis est impressus.* Estque hinc matrimonium de causis *spiritualibus* suo *ecclesiastico* c. 9. X. de *heret. de quibus* vere ait pontifex; ea, quæ *spiritualia* sunt, & conscientiam concernunt, *facilius construantur quam destruantur.* c. 2. X. de *transl. episc.* quod ad sponsalia quoque, etiam conditionata, applicat, sine omni iuris præsidio. Quod iure canonico ad *spiritualia negotia* referantur sponsalia, id inde factum, quod vt *res ecclesiastica* ad forum *ecclesiasticum* fuerint tracta, quæ indistincte, per summum abusum, *spiritualia* dicuntur.



Etum. Neque enim desponsati puro consensu iam una caro facti sunt, vnde demum vera *vinculi indissolubilis* ratio petenda. Hac de causa etiam pontifex in c. 7. X. de *conuers. coniug.* doctrinam saluatoris de non dimittenda vxore intelligendam esse censet *secundum interpretationem sacri eloquii de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non potest.*

Nec talia sponsalia publica sunt ipsam matrimonium.

§. XXI. Equidem in alia omnia hac in decisione iuit B. COCCHEVS de *matrim. moment. sect. iii.* §. 25. vbi ita philosophatur: *Sponsalia publica de presenti* (qualia sunt secundum eum, in quibus vertitur *sponsae factum*, seu quando consensum simpliciter dat in futurum coniugium adhibitis testibus) & *nuptiae natura*, forma & *substantia sua sunt prorsus vnum idemque & aequaliter differunt a nuptiarum consummatione*, adeo vt propterea effectu quoque *indissolubilis vinculi ea conueniant.* Putat nimirum, distinguendum esse inter *perfectionem nuptiarum substantialem & consummationem.* Consensu de *presenti* totam nuptiarum essentiam plenissime perfici, reliqua tantum ad nuptiarum iam contractarum *consummationem* seu executionem saltem pertinere. Ita vero praeter omnem spem, cogitationem & opinionem sponsa desponsata nuptias contrahit atque contra intentionem suam in *matrimonium* incidit, a quo tempore sponsaliorum adhuc aliena fuit. Quae *publica sponsalia* init, non de *presente* coniugio sed de *futuro* agit, cogitat, & consensum edit, vt vix concipi possit, qua ratione Ictus tam eximia eruditionis negotia tam distincta confundere potuerit. Fac, puellam sui iuris, praesentibus curatore, cognatis



tis aliisque testibus sponso pure fidem de ineundo matrimonio dare (prout hodie vtique sponsalia celebrantur publica) sine dubio ex mente B. COCCII hæc sponsalia erunt *publica de presenti*: factum puellæ hic vertitur: testes adhibet: consensum simpliciter edit, sed non in præsens coniugium, quod nec intendit nec intendere potest ex natura rei. *Sponsalium consensum* edit, non *matrimoniale*, quem demum publice coram parochi in ecclesia edit, interrogata, vtrum sponsum iam in maritum accipere velit? Id indicant formulæ consuetæ in *proclamationibus* adhiberi solitæ: Es sind auch Personen vorhanden, welche gewillet sind, in den Stand der heiligen Ehe zu treten, und werden demnach hiermit aufgebotten zum ersten mahl: & paulo post: wüßte nun jemand etwas, warum diese Ehe nicht vor sich gehen könnte, der wolte es bey zeiten anzeigen, hernachmahls aber schweigen ic. Qui ergo ex communi hominum sententia demum *nuptias* vel *matrimonium* inire volunt; qui tantum *propositum* contrahendi coniugii habent, de illis dici nequit, quod illud iam inierint. Atqui adhuc tempore proclamationis omnes desponsati eo ducuntur proposito, quod *velint* inire matrimonium, nuptias, coniugium: omnes desponsati sciunt, credunt, persuasissimum habent, se nondum consensisse in *præsens*, sed in *futurum* coniugium, & iam in eo sunt, vt in *præsens* *matrimonium* consentire velint; num ergo talia *sponsalia* cum *nuptiis* vnum idemque negotium sunt, & *natura*, *forma* & *substantia* non differunt? id vero quam alienum sit ab omni probabilitate, quilibet facile animaduertit. Habent *sponsalia consensum*: habent



bent eundem & nuptiæ; sed in diuersum obiectum occupatum, cum futurum & presens non sint vnum idemque.

(4) Quod erronee supponatur, sponsalia pura esse de presenti;

que irretastabilia sunt.

Cum tamen sponsalia talia de iure canonico sint de futuro

§. XXII. Vt vero hoc eo euidentius fiat, addo (IV) potissimum hanc rationem, quod qui omnem omnino sponsalibus puris denegant aduersus captiones opitulationem, in erronea hypothesi subsistant, sponsalia pura publice contracta esse sponsalia de presenti, de his vero in c. 14. X. de conuers. coniug. recte dici: ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de presenti contrahitur, illis viuensibus in nullo casu potest dissolui. Inde SFORT. ODDVS de restit. in integr. p. 2. qu. 59. art. 2. negauit, contra sponsalia de presenti dari minoribus restitutionem in integrum; nam consensus est ille, qui perficit matrimonium, & ad substantiam matrimonii sufficit coniunctio, quam facit mutuus consensus contrahentium per verba de presenti: ego te accipio, & per verba sacerdotis: ego vos coniungo nomine patris &c. unde Deus per manus sacerdotis dicitur coniunxisse absque alia copula carnali. Addit tamen, pontificem restitutionem contra sponsalia concedere posse ex causa praguante, quod hic in iure diuino possit dispensare.

§. XXIII. Ita vero nostrates definitiones sponsalium de presenti & de futuro mutant, conclusiones tamen easdem retinent, quas pontifices ex diuersis principiis suis sponsalibus de futuro vel de presenti attribuerunt. Faciamus periculum, vt manifestum fiat, quam grauiter erretur in applicatione. Aiunt pontificii, interprete CORVINO in apher. iur. can. tit. de sponsal. §. 4. sponsalia de futuro (que proprie sponsalia) sunt promissa futurarum nuptiarum.



nuptiarum per verba futuri temporis: ut ego te in uxorem ducam. Idem confirmat pontifex in c. pen. X. de sponsal. additque in c. 2. X. eod. talia sponsalia pure & sine omni conditione iniuri posse. Dantur ergo de iure canonico sponsalia de futuro pura, quæ, interprete CORVINO cit. l. §. 16. tunc contracta censentur, cum vir & mulier simpliciter pure & absolute se invicem futuros coniuges pollicentur. Atque hoc ipsum in omnibus sponsalibus publice contractis apud protestantes fit & peragitur, si pure sponsalia contrahuntur, quia tunc, adhibitis testibus, de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dant, ut sponsalia de futuro pura definit pontifex in c. 2. cit. quod iudicium præbet, sponsalia nostra publica pura in sensu iuris canonici esse de futuro i. e. coniugio, non vero ipsum matrimonium. Graviter ergo errant, qui talia sponsalia ideo, quod sint pura, de presenti appellant, h. e. quod presentem consensum non conditione suspensum ediderunt; quam aliena enim hæc doctrina a mente iuris canonici sit, quilibet facile iudicabit. Illis enim dicitur sponsalia de presenti, quibus consensus de presenti coniugio interponitur, ea mente, non ut mox vna caro fieri velint, sed quo nexus promissionis fiat indissolubilis. Consensum enim matrimoniale[m] facere matrimonium, recte censuerunt, adeoque ab eo momento nexum indissolubile[m] incipere crediderunt, quo quovis modo consensum conjugalem edunt, siue per subsequentem concubitum, siue per voluntatis declarationem seriam: Ich nehme ihn hiemit an und erklähre ihn für meinen Ehe-

E

*Et longe aliter  
hoc ius definit  
sponsalia de  
presenti.*



mann, daß er von nun an nicht mehr mein Bräutigam, sondern Ehemann seyn soll. Tales formulæ excogitarunt clerici, quo eo magis caperentur puellæ, ne postea a sponsalibus recedere possent; inde ab ecclesiæ Romanæ addictis commendari, præscribi & vrgeri solent, maxime inter magnates, inter quos ex dissolutione sponsaliorum varia solent sequi incommoda.

*Quod illustratur exemplis.*

§. XXIV. Optime id illustrat M. IACOBVS MOTZIVS, Legatus FRIDERICI III. in oratione coram ALPHONSO rege Portugalliæ habita, & a FREHERO tom. II. *script. rerum Germ.* relata, pro sorore eius imperatori desponsanda, vbi ipsi præscribit formulam *de presenti* hanc: *ego infanula domina Leonora recipio Fridericum regem Romanorum in meum maritum bonum & legitimum, sicut mandat sancta ecclesia Romana, in persona tui Magistri Iacobi Motz, tui sufficientis procuratoris ad hunc actum.* Vice versa quoque Magister Motz nomine imperatoris verba *de presenti* ita edidit: *& ego prænominatus M. Iacobus Motz nomine præfati Friderici Regis Romanorum, tanquam procurator eius ad hunc actum legitime constitutus, recipio te infantissam dominam Leonoram, in suam legitimam uxorem, sicut mandat sacra ecclesia Romana.* Quis vero inter protestantes sponsalia publica ita contrahit, vt in his mox declararet *consensum coniugalem*? quis hac captione & decipula vtitur? Ignorant fora nostra, teste experientia, hanc praxin, & sic etiam talia sponsalia *de presenti*. Sic etiam in *pactis dotalibus*, quæ ante nuptias regulariter conficiuntur, olim verba *de presenti* adhi-



adhibere solebant, quo eo validior nexus sponsalibus redderetur. Exemplum talium pactorum habet D'ACHERI *tom. VIII. spicileg. p. 259.* vbi sponsa & sponsus hac formula vtuntur: *Ego Saura vos Petrum de Pinofio in legalem maritum habere cupio, meque ipsam vobis trado legalem uxorem - - - Simili modo ego Petrus de Pinofio cupio vos dictam Sauram in legalem uxorem habere & me ipsum in legalem maritum vobis trado.* Quis vero inter protestantes hac similitue formula vtitur in pactis dotalibus? Notæ sunt pactorum formulæ consuetæ, plenius recensitæ a VOLCKMANNO *de informat. aduoc. & notar. P. 1. cap. 44. vbi n. 2.* hæc occurrit: *es versprechen erstlich beyde Verlobte im Nahmen Gottes einander zur Ehe zu nehmen, zu haben, und zu behalten, und solches durch priesterliche copulation fürderlichst zu vollenziehen ic.* Inde in iisdem pactis sæpe vocantur künftige Eheleute, vielgeliebte zukünftige Ehe: Gemahlin & quæ sunt aliæ huius farinae formulæ, a præsentis coniugio adhuc alienæ.

§. XXV. Cum vero ius canonicum tantum iis sponsalibus, quæ dicto modo per verba *de præsentis* h. e. coniugio contrahantur (vid. c. 25. X. *de sponsal.*) nexum indissolubilem tribuat, & vnice de iis asserat, quod *legitimum coniugium* contineant, ideo quod *consensus coniugalis*, licet *privatim*, iam editus sit; non satis provide agunt, qui sponsalibus *puris* & publice inter protestantes contractis eandem legem præscribere volunt, ideo quod ex errore dici soleant *de præsentis*. Si rem secundum iuris canonici

*Secundum ius canonicum sponsalia pura possunt dissolui.*



principia æstimare intendimus, hæc *de futuro* appellare, atque *nexam indissolubilem* ab iis remouere debemus cum pontifice in c. 2. *X. de sponsal.* & tandem concludere, sponsalia *de presenti* talia, quæ exstruxit ius canonicum, nobis *fere* esse incognita & inuitata, adeoque eorum iura in applicatione esse euitanda, quæ nimis incaute vt plurimum sequitur CARPZOVIVS, eademque *sponsalibus puris publice contractis* applicat, ex quo errore quoque dogma illud natum est, contra talia sponsalia denegandam esse restitutionem.

(5) Quod minores restituuntur etiam contra negotia que alias difficulter retrahuntur.

§. XXVI. Denique, quod (V) addendum esse arbitror, explorati iuris est, minoribus etiam, mediante ætatis auxilio, Prætorum succurrere in illis causis & negotiis, quæ alioquin ægre & difficulter dissoluntur, sed magnam habent auctoritatem & grauissimum pondus. *Rei iudicæ* efficacia est tanti ponderis & momenti, vt simpliciter ius faciat inter partes, irretractabiles effectus producat & perpetuam firmitatem habeat; l. 2. 4. 6. *C. de re iudic.* nihilominus tamen minores contra illam restituuntur l. 1. *C. si aduersus rem iudic.* Non minor est transactionum vigor, vt nullo sub colore rescindi queant, nelites reluscitentur, l. 16. 19. *C. de transact.* cum non minorem quam res iudicæ habeant auctoritatem l. 20. *C. eod.* & tamen itidem minori indulgetur restitutio in integrum contra transactionem, probata læsione. l. 1. *C. si adu. transact.* *Usucapionis* insignis fauor est, ex ratione *utilitatis publicæ* ei tributus, & tamen minores contra eam restituuntur, l. 1. *C. de usuc.* vt alia æque grauissima negotia, in quibus  
nexus



nexus firmissimus & dissolui nescius deprehenditur, non tangam. Meo certe iudicio *sponsalia pura* vix tantam auctoritatem sibi vindicare possunt ac quidem *res iudicate, transactiones & vsucapiones*, in quarum rescissione *bonum publicum* quodammodo offenditur & *salus reipubl.* detrimentum capit, non item in dissolutione *sponsalium priuata*, in qua tantum priuatum ius alterius læditur, minor autem a læsione immunis præstatur.

§. XXVII. Ita vero simul iam remoueri dubia supra adducta contra hoc ætatis auxilium. Responsio ad dubium primum, Primum petatum est a *diuina qualitate*, quæ *sponsalium* nexui inesse creditur. Sed recte regerit B. STRYKIVS de *dissens. sponsal. sect. III. §. 29. velim ostendatur iuris diuini sanctio*, qua homo magis ad fidem *sponsaliorum* quam alterius *pacti honesti* implementum constringatur. His adiungo ea, quæ §. 19. circa *spiritualitatem putatiuam* *sponsalium* obseruauit monuique, vt huic dubio longius immorari non opus sit. Alterum ex illo præiudicio desumptum, quod *sponsalia iam sint matrimonium*, quo nihil falsius fingi & excogitari potest. Quæ in vno vel altero conueniunt, non statim sunt eadem, sed diuersa adhuc negotia manent, quod diuersissimi effectus inter *sponsalia pura & matrimonium* intercedentes ostendunt. Tertium, quod fere palmarium est, petatum est ex doctrina iuris canonici de *sponsalibus de presenti*; quam incongrue vero huius applicatio ad *sponsalia pura* fiat, modo fusius dictum & expositum est. Sic quoque in quarto argumento frustra supponitur, *sponsalia pura* mutuo ad secundum, ad tertium, ad quartum, sensu



sensu dissolui non posse, quod tamen ipsum canonicum ius admittit in *c. 2. X. de sponsal.* & recta ratio confirmat. Fulissime & solide hanc sententiam exponit, variis argumentis exornat, atque ab omnibus liberat dubiis B. STRYK. *cit. l. sect. III. §. 8. sqq.* vt mihi hac in re otium fecerit, præsertim cum idem quoque iam demonstrauerit Dn. PRAES. *de iust. repud. caus. ab init.*

Non deficit hic  
æquitas,

nec scandalum  
metuendum,

nec conscientie  
violatio,

§. XXVIII. Illa vero duo argumenta, quæ a defectu *æquitatis & lesionis* desumpta sunt, parum ponderis in se habent. Quæ æquitas in genere pro *restitutione minorum* militat, etiam in hoc casu militat, cum diuersitatis ratio dari nequeat. Si metum *scandali* obiicis, rehero, confistorium prudentius hoc remedium puellæ captæ indulgere pro auertendo futuro scandalo multo grauiori, quam denegare sub prætextu scandali putatiui, quod ex *restitutione* metuitur. Neque enim quod *æquitate* solida subnixum, scandalum verum operari potest, sed quandoque tantum scandali ymbra habere videtur. Perpende miseriam puellæ temere & imprudenter in sponsalia pura & publica consentientis, cui, si ad matrimonium inuita trahitur, nil nisi calamitates, connubium infaustum, & dispendium fortunarum imminet, quam graue scandalum autem inde postea metuendum sit, quilibet facile ex hominum moribus æstimabit. Si *conscientie rationem* vrget, quæ non permittat, vt confistorium, quod *conscientie* rationem vnice habere debet, ex capite *ætat* rescissionem sponsalium decernat; respondeo I) non lædi conscientiam, si puellæ ex lubrico *ætat* captæ, & pro declinando  
grauiori



graviore malo laboranti succurrat iudex ecclesiasticus, nec puellam contra conscientiam hoc auxilium inuocantem agere, quia eam infirmum consilium & imbecillitas iudicii, quod in re tam ardua omne fert punctum, excusat. 2) Omnem restitutionem minoribus a consistorio etiam in aliis causis denegandam esse, si conscientiae vulnus semper infligeret, quod tamen nequidem Canonistae admittunt: vid. COVARRVV. cit. l. 3) iudicem multa conscientis litigantium relinquere debere, quippe quae per leges non semper regitur, quibus primario tranquillitas publica, quam infausta connubia admodum turbant, curae cordique est, quamque consistorium quoque ob oculos habere debet in applicandis legibus ecclesiasticis. Si obiicis, rem pessimi exempli, abusum tantum huius remedii notas, non legitimum tollis usum. Paulus in l. 24. §. 1. de minor. in omni auxilio etatis hoc aequilibrium commendauit: non semper autem ea, quae cum minoribus geruntur, rescindenda, sed ad bonum & equum redigenda sunt, ne magno incommodo huius etatis homines adficiantur, nemine cum his contrabente & quodammodo commercio eis interdicitur. Itaque nisi aut manifesta circumscriptio sit, aut tam negligenter in ea causa versati sint, praetor interponere se non debet. conf. l. 12. §. 1. de admin. & peri. tutor. Si denique fauorem sponsaliorum urges, ego restitutioni in integrum singularium imo maiorem fauorem inesse regero. Alioquin enim nec contra mulierem fideiubentem, nec contra rem iudicatam, aut transactionem ei succurreretur. Habent sponsalia non aequalem cum matrimonio fauorem: huic canones ob spirituales qualitates fa-

nec res pessimi  
exempli statui-  
tur,

nec fauor spon-  
saliorum resti-  
tutioni restitu-

F

vent:



vent: de *sponsalibus* puris non idem asseritur. Denique non omne, quod aliquem fauorem habet, excludit restitutionem in integrum ex capite ætatis, nec argumento a *libertate* desumpto hoc probatur.

Non deest hic læsio.

§. XXIX. Denique hic læsionem nullam vel ad minimum talem doceri non posse, quam *restitutio* postulat, admodum erroneum est. Graue præiudicium, quod ex infausto connubio alicui imminet, supra iam §. 19. ante oculos posui, & quis negauerit, graue quoque dispendium patrimonio & bonorum cladem ex matrimonio imprudenter contracto imminere posse. Etenim non tantum præfens damnum, sed etiam imminens & probabiliter certum, denique graue fortunarum periculum talem læsionem continet, ob quam prætor restitutionem indulget. Ait Ictus in *l. 44. de minor.* minores sva FACILITATE deceptos restitui, si quod habuerunt, amiserunt, aut se ONERI, quod non suscipere licuit, obligauerunt. Atque ad talia onera, quæ suscipere non licuit, *sponsalia* illa referenda sunt, ex quibus puellæ quietis, fortunarum, & propriæ salutis dispendium imminet. Conf. BROVWER. *cit. l. n. 7.*

In hac causa minor non habetur pro maioremi.

§. XXX. Vltimum dissentientium fundamentum inde peti communiter solet, quod *minores* in spiritualibus pro *maiorennibus* habeantur; maiorenes autem ex capite ætatis restitutionem amplius nullam habent, si vel maxime per *fictionem iuris* tales sunt. Arg. *sacramenta puberum, C. si aduers. vendit.* Enimuero 1) supra iam ostendi, in *sponsalibus* hisce puris nullum inesse *spiritualem* respectum, non



non magis ac in aliis pactis atque conuentionibus, adeoque regula vulgata, si vel maxime *uniuersalis* esset, male ad hæc sponsalia applicatur. 2) Ratio adducta haud *uniuersalis*, sed ita capienda est, vt *certo respectu & secundum quid* minores in *spiritualibus* seu *ecclesiasticis* causis paria iura cum maiorennibus habeant, maxime quæ *solemnia negotia & formam processus* desiderant, v. c. vt absque curatore in his causis agere & personam idoneam standi in iudicio habere queant. Atque adeo ex hac ita limitata ratione admittit *COVARRVVIAS cit. l.* minorennem etiam restitui posse contra temerariam resignationem beneficii ecclesiastici, vtut hæc pro *causa spirituali* habeatur. Argumentantur itaque, qui hoc ratiocinio vtuntur, a dicto *secundum quid*, ad dictum *simpliciter*, in quo plures sæpissime falluntur, cum illa, quæ in vno vel altero conueniunt, non statim eadem censenda sint, aut in omnibus in vniuersum æquiparanda.

§. XXXI. Neque vero hoc auxilium denegandum, si vel maxime cum consensu curatorum & cognatorum *sponsalia* contraxere minores *l. 2. §. 3. C. si tut. vel cur. interu.* quod potissimum iis in locis obseruandum, vbi *curatoris consensus* ad sponsalia desideratur, quem non desiderat ius ciuile. *l. 20. de rit. nupt.* Nam etiamsi vel maxime talia sponsalia sint *publica*, testibus interuenientibus contracta, inde tamen nihil amplius euincitur, quam ea secundum formam præscriptam valida esse, qualia demum *restitutio in integrum* desiderat. Nec ob-

*Restitui potest minor, si vel maxime cum curatore & testibus adhibitis sponsalia contraxit.*



stat, quod in iis læsio non præsumatur, qui cum consilio cognatorum & in præsentia testium celebrarunt sponsalia; hanc enim præsumtionem veritas, probata captione, tollit atque elidit, cum vel horum persuasio omnem captionis causam constituere & puellam inducere potuit, vt ad consentiendum prona esset, atque facilis, quæ *facilitas* ei auxilium ætatis suppeditauit. Reliqua, quæ in genere de *restitutione minorum* tradi solent, non tangam, vtpote quæ facile ad hanc doctrinam applicari possunt, & a BROVVERO *ci. l.* plenius iam exposita sunt.


T A N T V M.













50 A 6424

ULB Halle  
002 927 314 3



l


107











DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
DE  
**RESTITVTIONE  
IN INTEGRVM**  
CONTRA  
**SPONSALIA PVRA  
MINORVM**

QVAM  
*INDVLTV FACVLTATIS IVRIDICAE*  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

**DN. IVSTO HENNING. BOEHMERO**  
ICTO POTENTISS. REG. BORVSS. CONSIL.  
INTIM. PROF. IVR. ORDINARIO  
ET H. T. DECANO

**PRO LICENTIA**

SVMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES  
ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA

D. VII. IVL. MDCCXXII

ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT

**CAROLVS FRIDERICVS TRIER**  
CONSILIARIVS AVLICVS  
SAXO-WEISSENFELSSENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI, ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.  
MDCCXXXIX.

(52)